ERHARDI WEIGELII, P P.

PANCOSMUS
ÆTHEREUS
&
SUBLUNARIS,

hoc eſt,

Nova Globi Cœleſtis & Terreſtris Adornatio,

Quâ non tantùm omnia mundi phænomena, tùm ÆTHEREA, motûs primi vel ſecundi, juxta utramque hypotheſin; tùm SUBLUNARIA, ignis, aëris, aquæ, terrarum, clarisſimis ac jucundiſſimis ideis exprimuntur: ſed & ſubſidia quamplurima pro facillimo utriusque ſcientiæ captu traduntur

---

JENÆ,
Anno 1670;
Sumtibus & Literis BAUHOFERIANIS.

SERENISSIMIS atq; CELSISSIMIS PRINCIPIBUS AC DOMINIS

DN. FRIDERICO,
DN. ALBERTO,
DN. BERNHARDO,
DN. HEINRICO,
DN. CHRISTIANO,
DN. ERNESTO,
DN. JOHANNI ERNESTO,

Fratribus Germanis, Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, ac Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Misniæ, Principali Dignitate Comitibus Hennebergiæ, Comitibus de Marca, & Ravenspurg, Dominis in Ravenstein &c.

Dominis meis Clementissimis

dicat humillimè

ERH. VVEIGELIUS, PP.

Cùm inter ſcientias Mathematicas Aſtronomia præcipuam mereatur conſiderationem, tum quòd amplisſimi diverſorii noſtri, Machinæ nempe mundanæ, ſtructuram, ſanè perquam admirabilem, nobis exponat; tum quod ad agnitionem divini Numinis urgentiſſima largiatur argumenta; nihil antiquius hactenus habui, quàm ut difficilem aliàs digniſſimæ hujus ſcientiæ apprehenſionem vel docendi methodo vel inſtrumentis juvarem, eoque liberalium mentium amòrem, quò tantò magis in Vraniam feruntur, quantò generoſiores ſunt, ſi fieri poſſit, promoverem. Quam ob cauſam, præter *Geoſcopiam Selenitarum*, non tantùm *Sphæricam*, in profectiorum gratiam Euclideâ methodô trecentis demonſtrationibus confirmatam, & *Speculum Uranicum*, Aſteriſmorum novo ſchemate auctum, idiomate germanico pro minùs provectis in lucem emiſi: ſed & *Aſtrodicticum* Inſtrumentum *majus*, ut vel ducentis ſimul ab uno totius machinæ directore, & *minus*, ut ſingulis ſeorſim, quælibet ſtella indice quaſi digito demõſtrari queat, curioſioribus communicavi. Cumque Globus inter Aſtronomica Inſtrumenta principatum teneat, in cujus vulgari ſtructurâ multum deſiderari poſſe per hos 24. annos, quibus hanc ſcientiam privatim & publicè profeſſus ſum, adverti, in id incubui ſedulò, ut majorem, ſi non ultimam, perfectionem utrumque Globi genus nanciſcatur, uſuique Aſtrophilorum ſit quàm accommoda-

tissimum. Prodiit hinc non tantùm *Globus* noster *Mundanus*, cujus structuræ colophonem mox additurus plus in effectu quàm in promissis eum habere, non sine mentis acquiescentiâ video: Sed & ex eo natus est *Pancosmus* inde dictus tùm *æthereus* tùm *sublunaris*, cujus descriptionem Vestris præcipuè Celsitudinibus ut inscriberem, si non aliud, certè hoc me movit, quod singulari Principumque personis longè dignissimo amoris genere divinam Vraniam prosequamini. Sicut verò hoc à Serenissimo Parente Vestro, Domino meo Clementissimo, qui ut ætate, sic artium cumprimis Mathematicarum accurata scientia inter Germaniæ Principes eminet, Vobis cum heroico sanguine cæterisque virtutibus augustissimis implantatum esse quilibet advertit; Ita quin hoc qualecunque meæ subjectioni argumentum boni consulere, meque meaque studia & inventa fovere velitis, non est quod dubitem. De cætero nihil magis in votis & optatis delicatissima habet Mathesis, quàm ut cum Serenissimo Parente Vestro & Vos, tantos Mecænates ac Patronos, vivos, florentes, omnique rerum copiâ beatos per multos annos veneretur. Quod autem ipsam utriusque Pancosmi descriptionem attinet, eam intimationis instar quasi notionalem initiò dabimus, cui realis, quæ constructionem & usum complectitur, postea, si visum fuerit Astrophilis, subjungetur. Cùm enim uterque globus à vulgari formâ multùm abeat, plurimaque inse complectatur, quæ vulgò prorsus sunt omissa, qualia quidem sunt: Æquinoctialis ab Æquatore; Tropici & Polares ab ipsâ globi superficie separati: Circuli Horarii, orbes Planetarum, & similia, quæ de novo accesserunt; igitur usus utriusque per diversa problemata distinctius indicandus erit, peculiari tractatu, qui propediem sequetur.

PAN-

PANCOSMUS ÆTHEREUS.

Pancoſmus æthereus eſt ſphæra mundi ætherei perfectior, cujus

I. EXTERIORA ſunt:

1. *Superficies convexa*, quæ SPHÆRAM COELI ſ. auræ æthereæ cum circulis internis ſ. mobilibus, (*Æquatore* nim. *Ecliptica*, *circulis declination.*) mundique motum primum refert.

2. *Rete Aſteriſmorum* ab aurâ ætherea ſeparabile, quod SPHÆRAM STELLARUM fixarum ex accuratisſimis recentiorum obſervationibus diſpoſitarum, ſuisque aſteriſmis ſ. imaginibus diſtinctarum, 72. annis uno gradu ſecundum ductū Zodiaci protrudendam, exhibet. *Quo ipſo imprimis Sphæræ uſus redditur perpetuus, non ut vulgarium globorum uno tantum ſeculo definitus.*

3. *Compages Armillarum*, quæ SPHÆRAM SPATII mundani cum circulis externis ſ. immobilibus repræſentat, & à globo ſeparata vicem *Armillaris ſphæræ* ſuſtinet.

Eſt autem hæc *compages* partim *immutabilis*, nempe quoad circulos externos immutabiles,

 qua-

quales ſunt, tum univerſaliter, *Æquinoctialis, Tropici, Polares, Diurni*, qui non ipſi ſuperficiei convexæ, ſicut in vulgaribus globis magnâ cum diſcentium confuſione fieri conſuevit, inſcripti, ſed ſingulari demonſtrationis compendio ſeorſim ſtatuti ſunt; tùm particulariter, ut *Circuli Horarii*, qui in vulgaribus globis prorſus omittuntur, ſed hic expreſſi ſingulare largiuntur phænomenorum determinationi compendium: partim *mutabilis*, quoad circulos externos mutabiles, quales ſunt *Horizon, Meridianus* & reliqui *Verticales, Poſitionum* item, qui ad quamcunque ſphæræ poſituram commodisſimè variari poſſunt.

Qua quidem Circulorum externorum tum ſeparatione, tum directâ mutabilitate, non poſtrema Pancoſmi noſtri ſaltem Sphærici prærogativa, quam habet prævulgari Globo, nititur; præterquam enim quod ad oculum oſtendat, in quo pleriq; diſcentes hærent, quomodo Sol Æquinoctialem, Tropicosq; quotannis deſcribat, totosq; perambulet; neq; tamen extra Eclipticam ad ſtellas illas fixas prædictorum Circulorum circumferentiis ſubjacentes evagetur; etiam in mutandis Verticalibus & Horizonte naturam ſequitur, ipſum verticale punctum, ex quo hi circuli dependent, transferen-

ferendo, quod captui multò est accommodatius, quàm si, quòd vulgò fieri solet, totus mundus immoto vertice & Horizonte loco moveatur.

His ipsis Coronæ loco impositum est *Astrodicticum Instrumentum* s. Index stellarum, nempe Regula globis cœlestibus adplicanda, quâ, si præparato globo collineatio fiat ad stellam quamcunque, quænam illa stella sit in globo, statim arcus Instrumenti quasi digito designat.

II. INTERIORA Pancosmi ætherei complectuntur *Orbes Planetarum* singulorum, nempe *Solis*, *Lunæ*, *Saturni*, *Jovis*, *Martis*, *Veneris*, *Mercurii*, genuinum quovis tempore situm, stationes, retrogradationes, directiones referentium. Unà cum *Cometis*, caudas modò longiores modò breviores, modò nullas repræsentantibus.

PANCOSMUS SUBLUNARIS.

Pancosmus sublunaris est sphæra mundi sublunaris perfectior, cujus

I. EXTERIORA sunt:

1. *Superficies terraquea*, terrarum asperis & marium politis regionibus adcuratè distincta.
2. *Atmosphæra*, ventum undecunque spirantem, pluvias, fulmen, tonitru, quoties placu-

cuerit, ipſosque Antipodas, homuncionibus inferiori hemisphærio non adfixis, verè tamen adhærentibus, & erectâ ſtaturâ capite deorſum ſine tamen caſu liberè vergentibus, exhibens.

3. *Chronodicticum*, quod quovis tempore, quo loco quænam tempeſtas annua vel diurna ſit, h. e. quænam Regio diem habeat aut noctem? ubi ver, æſtas, autumnus, hiems vigeat? quota ubivis hora ſonet? &c. oſtendit.

4. *Roſa Nautica* cum Rhombis continuo tractu cuivis loco adplicabilis, quæ curſum navigiorum deſignat.

II. INTERIORA complectuntur

1. *Hydrophylacium* fontibus & meteoris perpetuam materiam ſuppeditans.

2. *Pyrophylacium*, ignes ſubterraneos fovens, qui per Vulcanos tum ſeptentrionis in monte Hecla, tum meridiei, per Veſuvium, Ætnam, Strongylum &c. orientis item in Inſulis Indiæ; & occidentis in America, perpetuas fuligines, & interdum flammas jucundiſſimo ſpectaculo emittunt.

Appendix

Utrique Pancoſmo pedamenti loco ſubſunt Piſces grandiores, aquam ſalientis fontis inſtar, ſi placuerit, ſurſum ejaculantes.

MC